Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 853

Quelle:
Copyright:

conditionis humane, haec concludit: *Explicit Innocencius De miseria humane condicionis. laudetur deus eternaliter.* Codex porro noster partim hanc, partim illam sequitur. Ita cum *Schoepfl.* sub finem legit: *frigus et cauma. sulphur et ignis ardens in secula seculorum*, et cum *Schelh.* addit: *Vnde liberet nos dominus deus noster qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Utrumque conjungit et Editio in *Opp. omnib. Innocentii III. Colon.* 1575. p. 450. f. quae pariter tollit σφαλμα illud *Prologi*, quod cum Codex, tum utraque illa vetus editio habet: *uilitatem humane nature christo fauente describam*, ubi *dignitatem*, ut oportet, reponit. An vero Opusculum ἀντίθετον *de Dignitate humanae Naturae* reipsa scripserit *Innocentius*, non liquet. Nemo saltem id hactenus excitavit.

VI. *fol.* 129. Collectanea quaedam *de Missa pro Mortuis* et *de Morte.* Excerpta ex *Hugonis a S. Victore* Opere *de Claustro Animae.* Ex *Antiquitatum* L. ult. *Fl. Josephi. Verba heimonis super apokal.*

Cum fuerint anni transacti. M. CC^{ti}.
et decies quini post partum uirginis alme.
Tunc antichristus nascetur demone plenus.

Parabola una e Libro *Barlaam et Josaphat* sub *Joh. Damasceni* nomine pluries vulgato.

VII. *fol.* 144. Libellus a manu Sec. XV. praenotatus: *Tractatus de pronosticatione futurorum ex sompnijs.* Initium: *Philosophantes antiquos siue Indos siue persas, egyptios siue grecos in visionibus sompniorum sequentes spirituali motu diligenter invenimus studuisse* &c. *Libellus iste partes duas habebit. Prima modum pronosticationis generalem continebit cum causis. Secunda uero particularis visiones describet.* Nugae nugarum, in quibus neque linguae pretium est, quod saltem in editione Ονειροκριτικων suorum tulit *Nic. Rigaltius.* Autorem non reperio. Librarius subjecit:

Jam scriptor siste tenuit labor iste satis te.
Qui me scribebat Albertus nomen habebat.
Explicit expliceat ludere scriptor eat.
Non videat christum qui librum subtrahit istum.

VIII. *fol.* 150. alia manu: *Incipit pharetra fidei contra Judeos.* Praeit Elenchus Capitum utriusque Partis, et Admonitio de Modo cum Judaeis disputandi, sive *triplex Cautela.* Operis ipsius initium: *Tolle arma tua pharetram et arcum* &c. Pars II. hanc rubricam praefert: *Hec sunt excerpta de erroribus Judeorum in tal-*